

distantiā à Terra, & ad virtutem visivam vel naturalem vel artificialem, quales sunt illi tractus nubium, qui totas regiones ad latitudinem aliquam multarum milliariū obnubilant. Nubeculæ enim, quas in aëre nonnunquam hinc inde sparsas circumvolitare observamus ad amplitudinem jugeri vel minorem, vix ullo instrumento perceptibiles sunt humanis viribus parabili.

Quantam autem amplitudinem habere debeat Nubes aliqua, ut Selenitis tanta videatur, quantus nobis hic apparet v. g. discus Veneris, facili negotio colligimus ex habitudine anguli visivi, quo oculus in Luna constitutus totum Terræ discum complectitur, ad veram Terræ diametrum: eandem enim rationem etiam habet angulus, quo nubes instar Veneris visibilis est, nempe (quod alibi observatum supponimus) 4. minutorum, ad veram nubis amplitudinem, cum prædictæ diametri sint bases Triangulorum similium, angulos visivos pro verticalibus habentium. Ut igitur unus angulus ad suam basin, ita alter ad alteram. Facta operatione procedunt 58. milliaria germanica, latitudinem nubis determinantia.

Sed cum ejusmodi nubes magnitudine non tantum, sed & opacitate sua multò minor sit quàm Venus, igitur & pauciores, & propter minorem opacitatem debiliores radios reflectit, & proinde, quamvis tantum Selenitis exhibeat apparentem discum, quantum Venus nobis, non tamen tam distinctè perceptibilis est, ac Venus, præsertim nube in medio disci lucidi, Venere in obscuro cõstituta. Vix igitur ac ne vix quidem ejusmodi nubem in Luna distinctè conspicuam esse puto, quamvis obscuriori Oceano accumbat, nisi fuerit duplo vel triplo major, aut oculus accuratissimo telescopio sit munitus.

Coeterum partibus Terræ continentibus obductæ nubes multò minùs discerni possunt à Selenitis, cum utraq;